




John Carter Brown.



BOUND BY W. PRATT FOR H. STEVENS 1861



ARGO-NAVTA BATAVVS,

Sive expeditionis Navalis, quam alter noster IASON, & Heros fortissimus, PETRVS HEINIVS, sub auspicijs Illustrissimorum & potentissimorum DD. ORDD: & Illustrissimi Principis Auraici, Inclytæq; Societatis Indiæ Occidentalis ductu nuper suscepit:

Et Victoriæ in sinu Matanzæ divinitus reportatæ

HISTORIA

Carmine heroico discripta, & publicè recitata;

à

FRANCISCO MARTINI

Scholæ Campensis Discipulo.



CAMPIS.

Ex officina Petri Henrici Wyringani, sub signo Typographiæ.

CIↃ IↃ CXXIX

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, & CONSVLTISSIMIS,

D. D. CONSVLIBVS,

&

SENATORIBVS,

Inclytæ & liberæ Imperialis civitatis CAMPENSIS,

Mæcenatibus, ac studiorum suorum Promotoribus

Dicat Consecrat

Franciscus Martini Scholæ Campensis Discipulus.



HEsperios populos, habitataq; Regna per Indos,
AEternæ cantrix laudis, famæque perennis,
Musa, precor, non segnis adi: reducesque Batavos
Concomitare, virûm victricia pectora laude
Indue perpetuâ, caput insuperabile lauru
Cinge sacrâ, fortique rotâ super æthera nomen
Transvehe, Barbaricis celebrandum gentibus olim.
Martia sis virtus præsto: atque è nube duelli
Occidui, mare per magnum prodire memento,
Belgiacæque plagæ paulisper in aere sudo
Exulta, Hesperij præclarâ luce Triumphi.
Fortunata dies verè, quâ Belgica vela
Occidui primùm dites Titanis ad Indos,
Per fluctus ivêre novos, ad littora Ganges,
Littora quæ memorant baccis auroque beata,
Splendet arena micans ubi fulvæ semine massæ,
Gemmiferis ubi ripa nitet non prodiga conchis,
Quicquid & in toto fæcundum nascitur orbe,
Ille locus ferè solus habet, gignitque fovetque:
Hinc nobis vehitur, luctus tristesque dolores
Quicquid depellit, quicquid fert gaudia vitæ,
Militat & contra morbos, prodromosque rapacis
Funeris: Hinc etiam portantur dulcia nobis
Sacchara, cœlestis gratissima munera Patris.
Multaque præterea rerum miranda novarum,
Quæ vel ob angustos numeros consultus omitto.

Prima tamẽ ratio eſt, Patriam defendere ab armis.
Nam locus eſt terris, à noſtro climate pauló
Semotus, dives gaudens Hiſpania dici:
Ferrea vox genti, facies deformis & atra,
Incuſſura metum, tibi Dæmon, turpia membra,
Mens mage crudelis, pelagive ferocior undis,
Si veſtes addas, aderit gravis horror in iſtis:
Quippè ſuperba nimis fert frons ad ſidera criſtas,
Compoſitaſque manus facinus conſueſcit ad omne,
Non prece, ſed precio miſerorum dira movetur,
Gens mendax, & avara, rapax, crudelis & audax,
Moxque fidem ſpondens, qualem nec ſæcula norint
Prima, nec ætatis venturæ poſtera noſcent,
Moxque fidem rumpens, quali didicêre Pelaſgi
Perfidiâ, pacem ſatagens violare manumque.
Hac cum gente ſalo, Belgas fera bella, ſoloque
Exercêre diu viderunt plurima luſtra.
E quibus, ut Batavæ virtutis clara Trophæa
Belgica terra tulit: Sic contra Celtiber inde
Sævitiæ monumenta ſuæ ploranda retraxit.
Sæpè laceſſitus crudeli gentis Iberæ
Tormento ſimplex Indus, complevit amaris
Queſtibus, & multis lachrymis Gangetica rura,
Sæpè plagas noſtræ velis tetigêre carinæ
Lucifluas, matutino ſola ſubdita Soli,
Occiduiſque ſimul vicinum littus arenis,
Indus ut Hollandis adjutus, & auctus ut Indis
Hollandus, poſſent communes jungere Vires,
Celtiberumque ſuis Gazis fraudare Tyrannum,
Indica quas pariunt montana cacumina civi
Hiſpano

Hiſpano,queîs fretus Iber,nos fulmine belli
Concutit aſſiduo,robur capit inde nocendi,
Diteque ſuffultus glebâ,ſua regna Triumphis
Nobilitat,noſtro Germanorumque dolore.
Hinc ſunt illa duo Batavis collegia,quorum
Illud ad Eöos,hoc Solis tendit ad Indos
Decidui,vada ſalſa quidem metitur utrumque
Claſſibus,Hiſpanique cupit contundere vires:
Aſt hoc lethali prædæ mucrone Tyrannum
Stravit,& infeſto diviſit vulnere Gazas,
Quas Potoſus nuper fuluis eduxerat antris,
Nutrierat diveſque Peru,calidæque Matanzę,
Exuviaſque viris tales detraxit Iberis,
Colchide ab ignotâ quales portavit Iaſon
In Patriam,Argivæ clariſſima gloria gentis.
Ergo huius cantabo rates, cantabo virorum
Geſta, per æquoreos campos, Neptuniaq; arva.
Tu vatem,tu Chriſte move, ſpireſq; furorem
Arcibus ætherijs, magni regione Tonantis.
Depoſcant alij Divûm ſua numina Vates,
Ille furoriferum compellat Apollina voce,
Hic Clius implorat opem,Cliuſque Sororum.
At tu ſole meis cæptis illabere Chriſte,
Spiritus è Cœlo tuus addat opemq; manumq;,
Vnus es, à cuius munimine pendeo totus,
Tu potes infantes in cantica ſolvere læta,
Guttura tu mutis aperis,verboque beato
Iratum ſiſtis pontum,Boreamq; furentem.
Cæruleis portanda vadis iam claſſis Ibera
Scandit aquas ſolitas,fulvis onerata metallis:

Qualis ubi in ſylvis lapidoſo proſilit antro
Induperatoris conjunx truculenta ferarum,
Quam vexat triduana fames, tum protinus omnes
Incipiunt pecudes horreſcere, mollia corda,
Hæc pergens furibunda gregem, ſolamina ventris
Corripit, ac uno nunquam ſatiatur in agno:
Haud ſecus Hiſpanæ deterrent obvia puppes,
Pondere ſub quarum Nereus gemit æquore in imo,
Neve pares humeros oneri ſe ſubdere poſſe
Oſtendit, refugo dum fluxu contrahit undas.
Illuſtres ergo Proceres, quos Belgica nutrit
Tellus, ac ſummas pelagi permiſit habenas,
Conſilium capiunt hoſtilem perdere claſſem,
Et prædâ veteres Patriæ ſarcire ruinas.
Vir fuit antiquis minor haud Heroibus, olim
Itala quos genuit, Tellusve Pelasga creavit,
Ingenio motûs avidus, raræq; fidei,
Et catus & rerum prudens, nec devius æqui,
Armato hoſtilis nullus pavor, aſt proba virtus,
Et famæ ſtimulatus honos, imiſq; medullis
Conflagrat vindex ſitis, Hiſpaniq; cruoris
AEſtus, & aſplendet capiti decor uſq; virilis,
Dedecus & turpes gaudens abolere parentum
Torturas, & Iberorum violata virorum
Fædera, vindictâ memori punire requirens.
Ad duo luſtra duos Phœbus ſuperaddidit annos,
Quo regnis ipſum memorant ceſſiſſe paternis,
Noſtraq; liquiſſe, ut Gangetica littora poſſet
Explorare, ſoli Patrij ſtimulatus amore.
Hunc ſibi ductorem fidum elegêre Batavi,

Huic primum ratis imperium tribuêre, ſecundum
Nobilitas cui longa dedit cognomina LONCKI,
Certatim comites rerum, belliq; miniſtri
Agglomerant ſeſe, atq; acres ſociare labores
Expoſcunt, quaſcunque mari ducantur in oras,
Lignaq; quæ dudum ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ac longis jam ſunt aptata carinis,
Addimus antennas, & vela ſequentia malos,
Quos Euri, Boreæq; trucis confringere flabra
Non facile poſſent, & queîs obſiſtere Scylla,
Boſphorus, & quicquid fluctus peperere, recuſant.
Imbre ſub exiguo non audent flere rudentes,
Tranſtra ſuperbirent, ſi noſſent, qualia ſecum
Robora portarent, per atrocia murmura ponti.
Navita, qui dextrâ clavum prudente gubernat,
Scit placidis lætas Zephyris oſtendere puppes,
Scitq; Notis rabidis velox ſubducere eaſdem.
Singula quid referam? Variæ ſtant littore naves.
Plurima utrumq; latus defendit machina, cuius
Mœnia quaſſa ruunt impulſu, cuius ab ore
Fulmivomo volat igne globus permixtus & atro
Sulphure, terribilem ſonitum ſuper æthera ſpargens,
Hæc ſi nubivago maculaverit aëra fumo,
Nec tibi Sol clarus, nec erit tibi lucida Phœbe,
Omnia tartareis ſolet hæc implere tenebris!
Tum verò ex omni bis denæ claſſe carinæ
Sunt lectę, quarum numero ſuperaddere ſeptem
Viſum eſt, has implent juvenum tria millia, nervi
Ac decus Hollandum, febrilis at horror Iberi:
Sunt animi magna ſpe magni. Non ſecus, ac ſi

Limes uterque poli peterentur præmia, quodque
Cardine sol missus Nabathæo conspicit uno
Sese posse die calidis percurrere bigis.
Celtiberas spirat pugnas exercitus omnis,
Belgiacus Tiphys cessandi tempora damnat,
Quilibet excptat pelago decurrere aperto,
Et Batavas ardet jamdudum linquere sedes.
India luminibus juvenum vigilantibus hæret,
India sopitis oculis quoq; semper oberrat,
Sive diem ducit Sol, seu vaga Cynthia noctem,
Mens ultra auriferos omnes studiosa vagatur;
Hîc ubi non sterilis terræ stant viscera fulva,
Parturiunt montes,generosum nascitur aurum,
Temperies cœli miranda,nec aëris aura
Murmure sollicito volitat,creperoq; susurro,
Omne sed hinc frigus tepidis afflatibus arcet.
Sunt uberes fructus,nova proles altivolantum,
Tristia demulcens cantus modulamine corda,
Et nova quadrupedum species,quæ cognita nullis
Temporibus,nullisq; locis terræque fretique.
Simplicitas rudis hîc homini,atq; antiqua remansit,
Illa licet reliquum dudum sceleraverit orbem
Degenerans,tamen hîc amor imperiosus habendi
Iuris habet nihil,ac totidem scelerata voluptas:
Illa quidem tormenta gravi gens passa dolore
A truce Celtibero,quæ vel proferre nequirem,
Ora licet centum,centum licet ora moverem,
Vsque tamen decepta dolo fraudare recusat,
Et mage vult vinci,vetitâ quam vincere fraude.
Ver erat, ac primò tellus ridentia vultu

Gramina

Gramina promebat, cum pulso frigore tristis
Cessat hyems, & cum frondosos alta capillos
Egerit arbor, ovans solita mox prole volucrum,
Iamq; exuta gelu respondent sidera longis
Solibus, atq; ibat decimam post, tertia lucem,
Lux quinti mensis referentis nomina Maiæ.
Tum nova cæruleum classis conscendit in æquor,
Margine soluuntur lætæ retinacula puppis:
Exultant undæ, fluctus sensisse putares,
Sic hilari strepitu, sic dulci transtra susurro
Excipiunt, salvere jubent, oneriq; viam dant,
Se comitem ventus præbens prolabitur inde,
Vnde novus Sol mane venit cum luce diurna.
Ille igitur simul arva fugâ, simul æquora verrit,
Velaque protrudit longis pendentia malis:
Paulatim pelagus, nunc ardua crescere nubes
Incipit, & tellus longè decrescere ponto,
Suspectu vasto sensim cessêre retrorsum
Aeriæ turres, quæ mox vanescere gaudent,
Nunc altum tenuêre rates & nullibi tellus
Amplius apparet, cum nil nisi comminus undę;
Eminus atque undę, cum nil nisi pontus & äer,
Illæ procedunt ęquatis undique velis
Gaudentes Euro, quem nec spiramina plenis
Buccis flata queunt unquam lassare, nec ingens
AEquor eum novit defessum reddere, jussas
Semper hians sequitur naves: Ceu prata molossus
Metitur, docet ille feras, cita vertere terga,
Non illum impediunt obstantia gramina campi,
Quo minus impavidus pavidum pecus urgeat ægrè:
Haud

Haud ſecus Eure tuis concedunt flatibus ipſi
Fluctus, ac longo patiuntur vulnere ſulcos.
Iamque iter inceptum peragunt per ſalſa carinæ
Arva, relinquentes varias poſt terga ſuperbis
Vrbibus excultas regiones : Flandria dives
Iam ponto apparet, quæ noſtras viderat olim,
Viderat & multum doluit ſenſiſſe phalanges.
Hinc (Vtinam poſſent ſeri meminiſſe Nepotes)
Auſtriacos quondam pepulit Mauritius Heros,
Et nihil Hollandos docuit debere Philippo,
Sit licet jmperio ſævus,ſit magnus in altum
Divitijs ſtructis cumulum, per faſque nefaſque.
Iam domus Oſtendæ,nunc & Dunkerka, Caletum,
Apparent, oculiſq; occurrunt Gallica rura.
Anglorum hinc fugimus,fugimus tua Celtiber arva,
Et ducis Albani patriam, monſtroſa Toleti
Littora, & Hiſpani mox præterlabimur oras.
India noſter amor,noſtri ſunt India curſus,
Nil ultra petimus, diſcent hic ſtare carinæ.
Iamque ferè extremo ſpatio curſuque peracto
Errabant undis puppes,cum nocte repulſâ,
Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, tunc clara metallis
India luminibus Batavorum creſcit avaris.
Segnia ſed lento procedunt carbaſa curſu.
Non aliter,credo, gemini quam fædere juncto
Obſcurâ ſub nocte lupi, licet ilia pulſet
Pallida ſæpè fames, penitus ſua robora & ungues
Diſſimulant, humilique meant per paſcua plantâ,
Latratu reſono vigilans ne nuntiet hoſtes

Cura canum, pecoriq; ſtrui fraudeſq; doloſq;,
Suadeat,& pulſo ſomno vigilare magiſtros:
Sic ſegnes Heröes eunt, lymphaſque fluentes
Non ſimili ſcinduntq; viâ tentantq; Batavi.
Eſt locus in Cubâ tumidis circumfluus undis,
Havanam dicunt Indi, juxtaq; Matanzæ
Naſcuntur, tituliſq; novis Hiſpania ſurgit.
Hic dum curſus erat claſſi,videt HEINIVS Heros,
Neſcio quam ponti verrentem cærula puppim.
Illa prius ſenſit, quam vidit, roſtra Batava,
Quippè capeſſebant pelago rorantia tela:
Sic juſſi juvenes, docturi barbara tranſtra,
Ni docta externos Dominos agnoſcere Belgas,
(Tantus erat terror cum tantâ febre) fuiſſent.
Miſcemus porro voces, an claſſis Ibera
Venerit,an ventura moras hic necteret. Illi
Fraude graves utrumq; negant. Sed providus Heros
Pergere non ceſſat, portum quin audet adire
Havanæ, atque inimica ferens vicinior arma,
Hoſtibus in medijs hoſtilem quærere claſſem,
Fulmineisque globis exponere fortia corda.
Quis tibi tunc Hiſpane metus? ſi pallidus unquam
Tunc vel eras,dubioque procul non diſcolor illi,
Cui via vitalis concludi reſte jubetur?
Hinc igitur rurſus Ductor conſcendit in altum,
Felices flatus tunc diſiunxêre Sodalem,
Paucis cum ratibus currentem gurgite plano.
Cum nigro rutilans Veſper conſurgeret ortu,
Qui nimis albentem lucem mortalibus ægris
Invidet, ac ſuadet nos detergêre diurnos

 Sudores

Sudores, ſomnoque frui grataq; quiete.
LONCKIVS emittit celeri tunc impete puppem,
Quę ſpeculatricis (ſic mos eſt) munus obiret,
Illa perobſcurâ noctis caligine tecta
Itque reditq; viam, dum lęto lumine claſſem
Cerneret Hiſpanam ſurgentem gurgite ab imo.
Tum vero celeri curſu vada ſalſa reſumit
Ad ſocios, viſaſq; refert ſibi nempè carinas
Aſturis, argenti pręgnantes pondere & auri.
Sicut cum cernit curvi Moderator aratri,
Tellurem ſibi commiſſum protrudere ſemen,
Cernit & exiguis accreſcere ſtirpibus iſtud,
Concipit exiguam primo, quam creſcere grana
Mox maiora jubent ſpem, donec meſſis opima
Oſtendat minimè vanam foviſſe colonum:
Sic ubi viderunt hoſtilia carbaſa Belgæ,
Maior erat, multoque magis ſpes ſcandit in altum,
Quam cum Battavicos primo liquêre penates.
Ergo ruiniſono complebat cærula bombo
LONCKIVS, ut reliquis Ductorem navibus auctum
Alliceret, poſſentq; ſimul contundere Iberos.
Mane erat, ac Titan luſtrabat lampade terras,
Humenteiſq; polo noctis detruſerat umbras,
Cum iunctis ratibus Ductores ritè coibant,
Conſilium magnis ſpolij de rebus habentes.
HEINIVS ex imo ducens ſuſpiria corde
Edidit Heroas auguſtâ voce loquelas:
Non, ait, abſque DEO cœli terræque magiſtro,
Quo ſine nil altum mens inchoat, aut facit unquam,
Et Patrias ſedes & dulcia liquimus arva:

Nec

Nec minus absque DEO pugnas ordimur & arma,
Ille modo si facta regat, si cœpta secundet,
Nil desperamus, flocci te pendimus Astur,
Nec tua deterret nos dira potentia regni.
Hæc ubi dicta dedit, primo tulit ipse supinas
Ad cælum cum voce manus, ac talibus infit:
O Sapiens mundi Rector, Regnator olympi
Ignorate malis & nulli ignote piorum,
Pande viam precibus, nec nostros ebibe questus
Auriculis duris: Facilis Dux antè carinas
Battavicas prodi, nec dextera parcat Iberis.
Fac timor hostiles, fac ut tua dissipet alnos
Ira, nec impavidis fac ut sternamur ab illis,
Ni tua conservet nos vasta potentia, frustra
Pergimus, & frustra bellacia carbasa ponto
Ponimus. Ergo memor nostri Pater optime casus,
Quo toties ignes, toties ploravimus arma,
Incute vim Boreæ, perituras obrue proras,
Tangentesque ferè rutilantia sidera puppes
Disijce, nos opibus tantis mactare jubeto
Pauperiem, Patriasque simul reparare ruinas.
Da Pater hæc nostro fieri rata vota precatu.
Sic tua Belgicæ cantabunt nomina matres,
Dum formosa dies noctem depellet opacam,
Dum corvos nigros, albos cernemus olores,
Dum Delphinus aquas, Sylvas aper incolet altas.
Dixerat, atq; animum pugnæ DEVS inserit altis
Pectoribus, vivaxque vigor præcordia munit
Incenditq; viros: Quippè ingens ilia pulsat
Cor, velut exultans vellet prorumpere ventre,

Ascribit sibi quisque meræ præconia famæ,
Iam prædam putat esse suam, spe concipit aurum.
Sedulus interea clavum detorquet in hostem
Navita, Celtiberis avidum concurrere clavis.
At Belgas magis atq; magis Dux HEINIVS acres
Instigaturus verbis compellat amicis.
O Socij, vos consortes spolij atq; laboris
Adduxi mecum, nec vos sine dote relinquam,
Non ego vos servos, socios sed nomino charos.
Si quid Scipiadas fortes, veneranda Vetustas,
Vrbis Agenoreæ pestes, & sæva duelli
Fulmina, commemorat quondam fecisse potenter,
Hoc facite, ut factis non sint prælata Batavis
Facta Togatorum; Siquidem vel fata subire,
Vel decet Hispanos pessundare fortiter hostes.
Nec vos attonitos reddat mors, aut numerosa
Copia pugnantum, & certantia carbasa cælo.
Lux hodierna licet fuerit vestræ ultima lucis,
Prima tamen vestri semper dicetur honoris,
Vita licet pereat, crementum fama resumet.
Sunt hostes fateor plures, sed sæpe duorum
Præda canum facta est multarum turba ferarum.
Sæpè unus Sampson maxillâ armatus aselli,
Mille Philistæos deturbat mortis ad aulam.
Sæpé unus diram Truncator Claviger Hydram
Mortibus innumeris occidit, & una triformem
Dextera Geryonem triplici cum morte trucidat.
Nil opus hic triplici letó, mors sufficit una.
Vos modo Samsones estote, atque æmula dextris
Roboris Herculei desumite robora vestris.

Primus

Primus ego pugnæ primos intrabo tumultus,
Et decori æterno spero post ponere vitam.
Vos quoque sic oro, Socij, ne turpe putetis
Corpus in extremâ moribundum perdere terrâ.
O mina sed spero meliora his . Ecce videtis
Quam timidis illic ratibus stet classis Ibera.
Vos igitur celerate viam, celerate labores,
Debet in austeris quæri Victoria rebus!
Talia dicturi grassatur maior in ora
Sanguis, & elato spirat reverentia vultu.
Effusæ stant ergo rates, stat tota juventus,
Nilq; magis poscit, nisi quod jam jamq; furenti,
Dum vindex sævit rabies, sibi dentur Iberi.
Ecce propinquabat iam classi classis, & ardens
Belga premit plumbum, mox mox torturus in hostē.
Bombilat instar apis fugientis Celtiber ingens,
Quam fugat à dulci vesanus flore colonus,
Et dives bellare timet, varioque tumultu
Excursare rates mavult, ac vertere terga.
Qualis ubi immanis vultur suffusus abundè
Lumina spurcitie, concretis sanguine plumis
Humano, stat relliquias complexus inanes
Defuncti, nunc membra premens semesa cruento
Pectoribus rostro nudis, visuque trementi
Metitur campos, si quis concurrere secum
Audeat, ac prædam rapere, aspicit eminus ad se
Armigerum tranare Iovis, tremit, ac sua purgans
Rostra, salutiferis campo se sublevat alis,
Respiciens deserta sibi nunc viscera prædæ.
Ille famis dudum circumvallatus anhelæ

Obſidione gravi, partâ ſua mœnia prædâ
Liberat, ardoremq; ſuum depellit edendi,
Quæque nequit ſolus tunc deglutire, prehendit
Ore, ſuis referens lætis convivia pullis.
Talis erat miles, talem ſe miles agebat
Hiſpanus, Potoſo ſurreptam linquere glebam
Cogitur Hollandis, Hollandorumq; carinis.
Nunc latâ calamus noſter ſpatiatur arenâ!
Nunc ſcandunt Batavi, ſcandit Neptunia pubes
Sidereas puppes, minitantes nubibus alnos.
Navis omittit Iber laxas Nauclerus habenas,
Abruptoq; quatit fugitivus littora ſaltu.
Pars pelago, pars puppe cadunt, ut inertia motu
Corpora, ridiculæ non dant conamina vires.
At contra horrendis Belgæ clamoribus inſtant,
Vicinique premunt prægnantia ſcrinia Gazis,
Pars ſpoliare rates, pars gaudent agmine denſo
Aut onera excipere adveniente, aut carbaſa flammis
Perdere. Fervet opus, ſunt tædia nulla laborum.
Nunc ego tot calamos optarem, quot tibi quondã
Fama canit vigiles oculos vigil Arge, fuiſſe,
Poſſit ut Hiſpani deſcribi carmine digno
Mæror, & Hollandi contraria ſigna doloris.
Sed nihil hic proſunt calami, vigor Entheus alti
Poſcitur ingenij, nec non grave mentis acumen,
Quod quoniam non æqua mihi mea fata negarunt,
Scitius ornabo Samij virtute magiſtri,
Non profecturis minuam quàm grandia verbis.
Hoc dixiſſe ſat eſt; Hiſpanis convenit ille,
Qui color infectis adverſo Solis ab ictu
Nubibus

Nubibus esse solet, vel matri Memnonis ortæ.
Hic color, hic faciem pingat, vultumq; coloret.
O in perpetuos huic genti dedecus annos!
O pudor! O nullâ cessans cum posteritate!
Non piget Hispanum tam grandia carbasa ponto
Ponere, queîs solis communicat Astrifer Atlas,
Quos negat aërijs se tradere velle labores
Turribus: ast illum piget his concurrere cymbis.
(Tanta vides inter nostras discrimina puppes)
Arduus ut collem mons vincit & altior extat:
Belgica Celtiberis sic cedunt carbasa proris.
Adde quod illius duplo majore catervas
Vicissent numero nostras, nî mente minori
Ille suas, (En quanta viro sunt pectora tanto!)
Debilitasset opes, nostras nî mente Batavus
Firmasset contra maiori, fisus Olympo.
Huius & illius caput hinc diversa fatigant,
Nam dolet hic tantam liquisse, sed ille repertâ
Lætatur prædâ: Sic exercetur uterque.
Et meritò. Nam tanta quidem præstantia prædæ
Eminet, ut mundi tremor, uno tempore nunquam
Pellæus Iuvenis similem rapuisse putetur.
Hîc Gazæ occiduæ rutilant, quas India dives
Mittit, & in varijs peregrinas educat oris,
Hîc merces splendent precioso lumine, quales
Mercator rubris capsis exoticus affert,
Tincturæque, quibus demortua purpura rursus
Vivit, & antiquos imitatur pænè colores.
Hæc inter corium, pelles, & plurima restant,
Quæ foret immensus labor omnia pandere versu.

Iam servos taceo, taceo tot corpora capta,
Quæ sibi Belgiacus Victor servire coëgit.
Sed numerum superant argenti, aurique talenta,
Divitiæ, quales veteres habuêre Mycænæ,
Quæq; mari gemino circumvallata Corinthus.
Belga tibi flavos jam laxat Lydia fontes,
Teque suis gemmis locuples iam ditat Erythra,
Hollandasque plagas collecto turbidus auro
Implet Pactolus, secum flaventis arenas
Adducitque Tagi: Potosi Penetralia nondum
Cognita Celtiberis, tibi servant fulva metalla.
Hæc tibi dona rogant, sint ut prælüdia tantum
Donorum, quæ nempè brevi tibi mittere sperant.
Iamque reversuræ classis Dux HEINIVS, ausis
Exultans tantis, licet & rutilantibus astris,
Atque quietiferâ nox omnia clauderet umbrâ,
Versabat curas, pellebat & otia somni,
Atque animo patrias iter instaurabat ad oras.
Vix abitura novo pallebant sidera sole,
Belgica cum miles remeabat Victor ad arva.
Lintea vertuntur retrò, versoque Batavi
Cum clavo vertunt oculos, atque Indica linquunt
Rura, doloriferæ resonantia voce querelæ.
Hic ubi Celtiberi stabant lugubre malorum
In signum, fatis irati, magna ruinæ
Argumenta viris veniebant pectore mæsto.
Sanguineo nam luctus atrox discissus amictu
Prodit, & invitat Nemesis fera corda virorum
Irrita, nec veros secum latura furores,
Illi multa movent animo planctuque recedunt.

Haud

Haud aliter densis pastor discedit ut orbus
Ex sylvis, rediens ab atroci strage luporum,
Cujus oves imber multus disiecit heriles,
Et fremebundorum ventorum fortia flabra.
Manè patent cædes, Domino perferre pavescit
Tam tristes casus, multâ maculatus arenâ
Questibus implet agros, nec jam numerare bidentes
Amissas cessat, sed eas ciet ordine longo.
At Belgas plenis subitò celerare carinis
Per mare Nereides cernunt, mirantur easdem,
Quæ modo erãt vacuæ, nunc parvo margine puppes
Metiri reduces lymphas, sesque gravatis
Sic scindi proris. sed fati præscia, gnatas
Ducit in extremum Genitrix Nereia pontum.
Continuò cœli nigro desurgit ab axe
Turbine consperſus Boreas, cui prælia fronte
Adversâ indicunt Austri, fera flamina, proni.
Nec quoque purpureo Riphæus dormit in ortu
Eurus, sed Zephyro contrarius instat & urget.
Nunc buccas solvunt, nunc spirant. Inde quietis
Horror aquis, inde & subitò detrusus ab omni
Sole dies, miscent tenebras, quêis concolor unda
Insurgit, lacerant obnixi nubila cœli,
Diripiuntq; mari lymphas portantque sub astra,
Et madefacturi stellas minitantur Olympo.
Interea Batavas naves modo gurgite in imo
Depressas jactant, modo tollunt sidera ad usque.
Semideûm Heroum nec fortia robora prosunt,
Magnanimumque cadunt remi per pectus inanes:
Pars contis munire rates, pars æquora fundo

Egerere, aſt alij deflent ſua fata ſuoſque.
Vt verò eliſit nubes tonitruque, micansque
Fulgetrum, ceu nulla prius lamenta, nec imbres
Manaſſent oculis : Sic ore miſerrimus uno
Exoritur clamor, mixtus ſtridore rudentum,
Extemploq; Ducis febrili frigore membra
Concutiuntur, atro deformes vortice palmas
Ad cælum tollens gemebundus talia profert :
O ter felices verè, quos ora Parentum
Aſpiciunt gnatos morientes, quoſque beatus
Defunctos Patriæ tumulus ſub mœnibus altis
Contegit, & dulci abſcondit tellure ſepulchrum.
Auri ſacra fames tu mille negotia reddis,
Tædia mille onerum tradis mortalibus ægris,
Te propter ſubeunt immenſos mille labores,
Atq; atras hyemes, æſtivaque ſydera ſpernunt,
Te propter dulce eſt, alti jejunia ventris,
Tantaleam perferre ſitim, diſcrimina cuncta,
Quæ cælum, pontus, peregrinaq; terra minatur.
Plura locuturum ventis fremebunda procella
Impedit, & totum corpus madefactus in alnum
Deſiluit, furiant Aquilones, crebraque ſpirant
Flabra Noti, donec ferè bis nova luna recrevit,
Bis quoque fraterno ſua cornua lumine fregit.
Interea terras rumor triſtiſſimus implet
Hiſpanas, ditis claſſem perijſſe Philippi,
Hoſtilique freto prædam portare Batavos;
Ingemit, ac paulum fletu cunctatus acerbo,
Rex ſic orſus ait : Sublimia vulnera Belga
Integrare mihi pergis furiaſq; Batavas ?

O Naves Naves! An credam posse renasci
HEEMSKERKI bilem, diramque subinde reverti
Hispalidos pestẽ? Non credam. Sed tamẽ HEINVS
Belligeraturi stipendia militis aufert.
Ah! Quæ stella meis cunis infesta fuisse
Diceris, Ah! Inhibe saltem vel siste furores
Quæso tuos, nec me lethaliter opprime totum.
A Belgis etenim quondam sæpè aspera passus
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta recepi:
Nunc verò exsuperant, nunc debilitare trementis
Imperij nervos tentant. Patiarne virorum
Hoc tantum scelus, & tantus Rex lædar inultus?
Non patiar, modò sint ignes, modò ferra supersint,
Castigabo viros Vltor memorandus & ingens.
Dixit, & Hispanum moliri iusserat alnos,
Quasque malè amisit cæpit nunc quærere peius
Divitias: Extructa mari nova Classis iniquo
Insiluit, complent Cantabrica corpora puppes,
Corpora, quæ perhibent æstûsq; hyemisq; famisq;
Invicta, & palmam ex navali ferre labore.
Quid miserande facis? Quò te furor ille Philippe
Instigat vindex? Nunquid satis ultus acerbè es?
Tum, cum nempè plagas implesti milite nostras
Hispano, Furias cum Dux Albanus ab aulâ
Tartareâ excivit furiosus, & effera Belgas
Formidare rudes docuit tormenta tuorum.
Quorum sunt testes Harlemum, ac squalida Nardum
Tristitiâ, ac multum violata per oppida funus.
Ecce rates Batavæ crebris agitantur in undis,
Nec venti cessat rabies, nec ferrea nimbis

Vlla quieſcit hyems, cum magno vortice pontus
Concuteret binas puppes, quæ protinus irâ
Præcipitis Boreæ, & flabris abiguntur in altum:
Dumque fretum dubiis velis hinc inde pererrant,
Occurrunt fors quinque rates, quas fluctibus audax
Emiſit DVNKERKA ſuis prædonibus, ut nos
Exuerent ſpoliis: Exutas antè ſed illas
Vidimus, & victas oculis inhiantibus alnos.
Namque propinquantes nos navita voce laceſſit,
Ac prior: Vnde viri, vel quò properatis in armis,
Non humili terrore rogat: nec reddita contrà
Vox, fidamque negant ſuſpecta ſilentia pacem.
Rurſus ait, quæro num prædam linquere captam,
Et plenas puppes cum libertate velitis?
Tum Batavus, ſi tantus ait, te vexat habendi
Ardor, non renuo, cape quæ virtute duelli
Vicimus, & Martis commercia Victor habeto:
Sed ſi fortè putas me libertate relicta
Subdere colla jugo victricia, falleris, erras;
Antè meas patiar naves ſpoliumque nitroſo
Pulvere conſumi, combuſtus ad aſtra volabo,
Partaque Gaza mari mare per peritura natabit:
Quam prædam, vitam, libertatemque paternam
Eripient hoſtes. Nam quæ mihi ſumma Tonantis
Largitur bonitas, teneo, longumque tenebo.
Ille ſub hæc: faxo vos juſſa capeſſere noſtra.
Protinus horriſonis Belgarum carbaſa pulſat
Ictibus, ac rapidis deformat tranſtra favillis.
Illa velut rupes immoto ſaxea niſu
Conſiſtunt, donec facta eſt via prona nocendi,

Tunc

Tunc atros globulos plenis è faucibus igne
Eructant tormenta vago, librantque ruinam
Immanem, simul arma virûm, simul ora manusque
Pervolitant, mixto sederunt pectora ferro,
Sulphureâque hostes dejecti mole globisque
Congemuêre, fugâ tremefactum protinus agmen
Excutitur cæptis, & terga minacia vertit.
Inter utrumque prius dubijs Victoria pennis
Æthera tranabat, sed pulsis scandit Iberis
Belgiacas proras, victrici nobile palmâ
Cincta caput, levibusque alis & honore revincta.
Vix erat armorum finis, pariterque quiêrunt
Flamina, & exhausto metam imposuêre furori,
Spumiferi placido sedantur gurgite fluctus,
Pone sequebatur Titan cœlumque serenat,
Æthereisque plagis detersit nubila ventus,
Collegitque rates undis hinc undique sparsas.
Defessi Belgæ quæ proxima littora, cursu
Arripiunt, lassæ vertuntur ad arva carinæ
Anglica, quæ Nerei sunt circumsepta procellis,
Hîc naves unco terris ligat anchora morsu
Ferrea, & egressis sociâ sub pace, reclusæ
Hospitibus patuêre fores: Tunc tædia ponti
Abluit ex animo Batavus, pensatque dolorem
Æquoreum, optatæ lætâ dulcedine terræ,
Tunc simul infandis venêre oblivia curis,
Tunc epulæ, felixque sopor, noctesque quietæ.
Quassatam ventis Ductor subducere classem
Præcipit, & ratibus sylvas aptare trabesque,
Et lacerata fretis reparari carbasa jussit.

Omnia contingunt, neq; quenquam vota morantur:
Sola deest Patria, imperfectaq; gaudia claudit.
Iamque refecta viæ classis studiosa supremæ
Deserit arva soli, valedictis ritè Britannis,
Intrat & arva sali, Neptunum rostra salutant,
Et citò præcedunt,& flamina ponè sequuntur.
Vix gelidam Phæben & caligantia primus
Clauserat astra dies, cum iam rubet igne futuro
Oceanus, latèq; novi iam Solis apertum est
Adventu pelagus, radiorum luce coruscum:
HEINIVS expandit multos utrinq; rudentes.
Lataq; veliferi porrexit brachia mali.
Postq; dies aliquot, cum se exoptata levasset
Battaviæ tellus, hâc voce silentia rupit:
O fidi socij per densa pericula vecti
Fluctivagi maris atque Austri rabiemq; minasq;,
In melius fatum vestras iam vertite mentes,
Finis adest etenim tantorum & meta malorum,
Iam dignâ mercede labor pensatur honoris,
Præmia mille dabit factorum gloria vestrûm;
In promptu est: Sic effatus cum voce reflexit
Lumina. Nam Patriam gavisus nauta salutat
Lætificis bombis per ficta tonitrua terram,
Mox autem tellus ratibus vicinior instat,
Indubitata magis propinans gaudia Belgis.
Ast ut ad optatas urbeis, portûsq; petitos
Perventum, ceu nulla prius data jubila gestu,
Sic omni exultant præcordia dulcia plausu,
Turba furit, reboat gratantûm vocibus æther.
Tandem progreditur magnâ stipante catervâ

HEI-

HEINIVS jnvictus, ſequitur quē LONKIVS ingēs,
Magnorum decora alta virûm, iam fronte ſereni
Et noſci poterant Heröes, terra ſuperbit,
Greſſibus atque vijs exultavâre plateæ.
Poſtera lux latum ſplendore impleverat orbem,
Naſſovicus Princeps cum doctam currere rhedam
Miſit, honorandis ut Ductor uterq; Triumphis
Oppida magnificæ lætus veheretur ad Hagæ:
Iamque ferè medius Phœbus venientis & actæ
Noctis erat, ſpatioq; pari diſtabat utrinque,
Rectores urbis cum regia tecta ſubibant:
Tum multum effuſi ſtabant per mœnia cives,
Sublimeiſq; altâ ſtatuebant laude Triumphos.
Et iam adventabant, quêis lætâ fronte ſalutans
Occurrit Princeps Procerum comitante caterva,
Pauca viris memorans gratanti voce manuq; :
Poſtmodo regales ædes intrabat, & unà
Ductores, lætiſque dabant ſermonibus horas,
Regalique ſimul peragunt convivia luxu
Belgiaci Proceres, Venerandi turba Senatûs,
Quorum conſilijs Patriæ res ſtantque caduntque,
Celſa virûm decorant auratâ colla catenâ,
Et poſt dona ſimul dictis affantur amicis:
Parva quidem fuerint magnis hæc præmia factis
Heroës, precium virtuti, pignus amori:
Sed tamen æternos vobis inſtaurat honores
Fama, peregrinis ingentia nomina terris
Extento cantura ævo. Namq; undè nitentem
Progignens, formoſa diem Pallantias exit,
Et quâ deciduo deſcendunt Sole quadrigę,
Cantabit

Cantabit veſtras laudes, & mille parabit
Linguas, mille annos, totidemq; in carmina voces,
Extremaſque tubâ gentes ad tanta novarum
Argumenta vocans rerum, memorabit ut ambo
Pro carâ Patriâ, pro Relligione ſociſque,
Hoſtibus haud parvum dederîtis vulnus Iberis.
Nunc ſtabilimentum vos libertatis avitæ
Conſtanti fulcro poſuiſtis, mens generoſa
Nativo vivas emiſit fomite flammas,
Non ſunt ampla ſatis Patriæ pomœria vobis
Æſonidæ ſicut quondam, reliquiſque Pelaſgis,
Theſſalicæ quos non capiens anguſtia terræ,
Compulit ad Scythicas ignoti Phaſidos oras.
Scilicet acclivi portatur gloria curru,
E duris pariens molles ſibi ſemper honores.
Tum Dux ſubridens breviter ſic HEINIVS infit;
Eximij Proceres nimium confertis honorem
Nobis, parvus honor nobis, ſed magna Tonanti
Gloria debetur, cujus præconia laudis
Aurea vix capiunt librati mœnia cœli,
Huic ſoli Belgæ plaudent, genteſque remotæ
Frigidus huic plaudet Tanais, Ponti utraq; plaudent
Littora, collaudant extremæ nomina terræ.
Sic fati Proceres, Sic fatus et HEINIVS, ora
Compreſſere, ſimul cunctis mandata dabantur
Vrbibus, ut grates Eccleſia tota Tonanti
Solennes ageret, decantaretque ſüave
Turba melos, modulãs Domino pia carmina magno.
Veſper erat, Phœbuſque ſuos celabat amictu
Nocturno radios, veniente ſorore fugatus,


Ecce

Ecce die toto Belgę prǫconia laudum
Cœlorũ pãgũt Domino, & iã Templa relinquunt,
Pendula ſacratis in turribus æra boabant,
Certabantque vago reſonantia Tympana pulſu,
Vndique ſublatus feriebat ſidera clamor,
Machina ſulfureos iactabat ahenea bombos,
Cuius humi jactu ſternuntur mœnia grandi.
Non ſecus : ac fractis ſi ſtellis celſus Olympus
Corrueret, ſpatiumque foret tibi cœlifer Atlas
Optatum reſpirandi, cœlum omne remugit
Vocibus, atque imis reſonant tabulata cavernis,
Ceu librata cadunt rapidis ubi fulgura telis,
Fulgura, quæ Brontis quatiebat malleus olim,
Et Steropis ſudor, ſocijq; Pyracmonis ignes
Verſabant, clauduſq; Pater fornace probabat.
ISALA conſpiciens plaudentis gaudia turbæ,
Suſtulit è medijs rorantia lumina lymphis,
Fertur & in modicos reſolutus rite cachinnos,
Ore ſuſurranti tales fudiſſe loquelas :
Salve Munimen Belgî, præſtabilis HEINI,
O Decus, ô Patriæ ſpes altera, terror Iberi
Vnice, tempus erit, quo dives Iberia quondam
Concidet ante pedes Belgarum, vincta catenis.
Dixit, & ima petens flavum caput abdidit undis,
Vtraq; ripa ſonis lætis ter læta fremebat.
Tum ſimul arripiunt fætentia ſulphura, vires
Vulcani, pice vaſa micant flammantia nigrâ,
Quæ circum pueri choreas, ducuntq; puellæ,
Vulgus Iö Pæan, omneſq; Triumphe canebant.
Talia magnanimis ſtatuuntur ubiq; Trophæa

Nempe viris, intraq; vias intraq; plateas.
Qualia commemorant paſſim ſtatuiſſe togatos
Terrarum Dominos, vaſti victoribus orbis:
Qualia Victori ad Cannas ſtatuiſſe feruntur
Hannibali Pœni quondam, Tyrijq; bilingues:
Qualia Gallorum nuper Monlucius Heros
Semper manſuro ſtatui ſibi vidit honore.
Deniq; Pompales grato clauduntur honores
Munere, Victorem Proceres juſſêre Batavi
Vnanimi HEINIADEM præfectum voce citari
Oceani, circum qui Belgica labitur arva.
Ditia diſtribuunt Hiſpani fragmina caſûs
Militibus lætis è bellatricibus alnis.
Hæc ſuper inſignem prædam Batavoſq; canebam;
Et ſuper Hiſpanum Regis Regniq; dolorem.
Parvula devoto iam collige carbaſa portu
Muſa, dein magnas mecum ſcanſura procellas.
Tu DEVS omnipotens, cuius bonitate Batavus
Libera Celtiberis ſubtraxit colla catenis,
Hiſpanos placa maiori clade furores,
Et facinus verſare Duces da peius Iberis.
Forte nimis tenui laudes ceciniſſe Camænâ
Faſtidis, totus minimè quêis ſufficit orbis;
Scis DEVS, & pueri facundia præterit annos,
Tu modo materiem mihi ſuggere plura canendi,
Cœleſtique riga Permeſſide pingue cerebrum.
Sic tua maiori, maior cum competet ætas,
Nomina cantabo metro: Sic denique ſpero
Laudibus Hollandę dignis celebrabere lingụę,
Quæq; ſedes ſupra, tangent tum ſidera grates.

Interea

Interea Batavis æternę munera pacis,
Auſpicijſq; tuis concordia fęderà ſunto.



EPICEDIVM
IN obitum
PETRI HEINII

VT quondã primus contingens littora Troiæ,
Vir cecidit primus Laödamia tuus:
Sic avidus pugnæ, fortiſſimus HEINIVS, hoſtẽ
Dum prohibet primus, primus ab hoſte cadit.
Magnus utrinq; dolor: Sed non par gloria facti,
Gloria cui ſoli ſæcula nulla nocent.
Illum fida thori conſors comitatur ademptum
Morte: Sed hunc fletu Terra Batava ſuo.
Illius ſocios decimus vix ſenſerat annus
Victores, tenuit quos mora longa nimis:
Hic Patriæ victos monſtrat vix mortuus hoſtes,
Vivus adhuc in quos fortiter arma tulit:
Si dignè hic ergo defleri debuit Heros,
Vnda ſuas lachrimis multiplicaret aquas.

Damnaretq;

Damnaretq; ſuas Victoria ſaucia lauros,
Siſtere queîs mortis non potuiſſet iter.
Si dignè hic poſſet laudari, nomina tanti
Antipodes poſſent commemorare viri.
Huius & ad laudes capiendas celſus Olympus,
Porrigeretq; ſuos Axis uterq; ſinus.

Franciſcus Martini Scholæ
Campenſis Diſcipulus.

F I N I S.



